

(32) Illustrissimo de Linnee
S: P: D:
Christianus Friis Rottbøll.

Mitto hic programma ad lectiones botanicas et excursiones in campis nostratibus indicandas; qua occasione meditationes meas de contortis in lucem edidi; etsi mentem meam ex iconibus et explicatione latina Te aliquatenus percepturam credam, optarem ut textum ipsum danicum a § 18 ad finem vel ipse legeres, vel per alium lingvæ nostræ expertum expositum haberes. Præcipua Capita huc redeunt § 18—22, monstrant plantas contortas pro Monogynis habitas quoad maximam partem esse digynas, stylis vel manifeste distinctis, vel agglutinatis et concretis¹⁾ Dabam die 13 Junii 1771.

(33) Viro Generosissimo amplissimo
Carolo de Linné
S pl: d:
Christianus Friis Rottbøll.

Ex animo lætor, quod labores meos de contortis tuo dignari velis examine, non tamen opus est, ut ætatis tempus exspectes, cum sicci flores in hoc ordine recentibus præstant fere ad indagandam naturam genitalium. *Asclepias syriaca* et *Curassavica* optimum hujus generis characterem monstrant in floribus per longam annorum seriem siccatis . . .²⁾ Post ultimas tuas litteras multa mihi acciderunt acerba, perdi uxorē amabilissimam, quæ jam altera fuit et mihi reliquit filiolam — Omnia ruinam et interitum minabantur sub tyrannico Comitæ de Struensee ministerio. Illo jam in catenis cum sociis detento, animus et vigor cunctis redit, et unusquis-

¹⁾ Resten af Brevet angaaer kun Bestemmelser af Planter og andre botaniske Specialia.

²⁾ Om Senderinger af Planter og Frø.